



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

III. De capite Ecclesiae, eiusque dignitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

CAPVT TERTIVM.

De capite Eccl sia eiusque dignitate.

IN omni corpore, tam naturali, quàm mystico inter cetera membra caput, cui regimen & gubernatio reliquorum competit, principalius habetur. Si autem quæratur, quodnam sit ecclesie caput, conformiter doctrinæ Apostolorum, & Patrum respondebimus, nõ esse aliud, quam ipsum Christum mundi Salvatorem & Redemptorem. Docet id S. Paulus, tam clarè, vt alterius testimonio non egeamus, de Christo enim ait, *Deus subiecit omnia sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius: Et alibi, Ipse est caput ecclesie, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ministratum, & constructum crescit in augmentum.*

Ex his, alijsque latè inferius allegandis, patet Christum esse caput Ecclesie, & familie Christianæ: modò autè contemlemur, quæ sit huius capitis dignitas, & excellentia, quæ facile (vt

Ephes. 1.

Coloss. 2.

D. Thom.

p. 3. q. 8.

a. 1.

nota

notavit) ex analogia, & similitudine perfectionum, quas caput humanum obtinet, desumi potest. Est itaque caput, hominis primum & summum totius corporis membrum, in potentijs perfectissimum, in operationibus efficacissimum; ita ut in reliquis mēbris agenda peragat. Quod in homine primum sit & summum, ad oculus patet: quod in potentijs sit perfectissimum, ex eo apparet, quod ibi omnes interiores, exterioresque sensus hospitetur, & quasi in vnum colligantur: quod in actionibus sit efficacissimum, ex eius agendi viuacitate, qua reliquis membris omnem inotum, & virtutem comunicat, relucet. Hæc autem omnia in Christo, qui familiae Christianæ caput est, reperiri, adeò euidentis est, ut de eo nemo possit, vel audeat dubitare: Quod enim sit primum ecclesiæ membrum, docet testimonium S. Pauli ad Romanos scribentis, dum ait, *Quos præsciuit, Deus, hos & prædestinauit cōformes fieri imagini filij sui, ut sit primogenitus in multis fratribus,* & ad Colossenses, de Christo agens dicit, *Qui est imago Dei inuisibilis, primogeni-*

Rom. 8.

Coloss. 2.

B S tus om-

tus omnis creatura; & infra, Ipse est caput corporis ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primatus tenens.

Quod verò in potentijs ac virtutibus sit perfectissimum, ex eo facile liquet, quod plenus sit omni gratia, & virtute, tã pro alijs, quam semetipso. Cum enim intimè diuinitati, ex qua omnes gratiæ & dona coelestia emanant, vniatur; omnia illa bona, quæ requiruntur ad perfectionem naturæ humanæ, quæ cum diuina vnita est, recepit; idque ea abundantia, ut copiosè de his omnibus suis membris communicare possit: Quod

Joan. 1. S. Ioannes significauit cum dixit, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre pleni gratia & veritate.* Dicit plenum gratia Christum fuisse, quia præter gratiam habitualement, quæ ei secundum exigentiam perfectionis animæ, in maxima copia data fuit, accepit etiam habitus omnium virtutum, quæ nullam imperfectionem supponunt: Item dona Spiritus sancti, omnesque gratias gratis datas; cum enim hæc dona gratis dentur ad confirmam

firmam

firmationem doctrinae Christianae. rationi plus quam congruum erat, ut doctorum praecipuus his abundaret, eaque in maxima abundantia possideret. Concludo itaque cum S. Augustino dicente, Hoc interesse arbitramur inter caput & membra cetera: quod in quolibet quamuis praecipuo membro, velut in aliquo magno Propheta, vel Apostolo: quamuis diuinitus habitet, non tamen, sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo diuinitatis, Nam & in nostro corpore inest sensus singulis, sed non tantus, quantus in capite; ubi prorsus omnis est quinque partitus. In ceteris autem solus est tactus. haec ille.

August.
ep. 57.

Restat autem docendum, quod sicut Christus omnes virtutes, & dona coelestia in maiori excellentia habuit, quam omnes sancti simul sumpti: ita etiam potestatem habuisse haec eadem suis membris communicandi, siue interius per secretiorem gratiae influxum: siue exterius per corporale aliquod subsidium: qua utramque potestatem ex factis eius in euangelio con-

B. 6

scri-

scriptis clarè perspicimus; ibi enim legimus, quomodo doctis, & indoctis: magnis, & paruis: pauperibus, & diuitibus; in vrbibus, & campis, villis, & que prædicarit: Ibi inuenimus, quomodo necessitatibus humanis misericordiosè subuenit, fruentes scilicet, qui se in desertum secuti fuerant pauculis panibus reficiens, omnis generis infirmitates sanans, de obsessis corporibus demonia eiciens; mortuos, imò iam quatuoriduum sepultos, resuscitans. Interius autem mentibus auditorum gratiam infudit, cum Magdalena, Paralitico, Zachæo, alijsque peccata dimisit. Apostolis quoque suis dona spiritus Sancti, & operationes virtutum communicauit: scimus etiam hunc eundem esse, qui modò legitimè dispositis per sacramenta gratiam confert, vt suo loco plenius videbimus. Manet itaque clarum, & euidentis Christum esse ecclesie primum membrum, & caput, tam ordine, quam excellentia & dignitate; tam directione cæterorum membrorum, quam omnium virtutum perfecta aggregatione.

Sicuti superiori capite diximus, A
damum

damum quidem omni humana, diuinaque scientia excelluisse, eam tamen cum scientia, sapientiaque Domini nostri Iesu Christi comparatam exiguam fuisse: Ita etiam nunc de virtutibus ac gratijs dicere licebit; tamen enim iuxta Doctorem Angelicum Adamus ab initio suæ creationis gratia iustificante, & Deo gratum faciente, eiusque opera vitæ æternæ condigna reddente, ornatus fuerit: licet originalem iustitiam, qua inferiores facultates rationis imperio perfectè subiciebantur acceperit: Si tamen tota hæc gratia, cum illa Christi conferatur, habebit se instar riuuli, & parvæ cuiusdam scaturiginis ad perennem, ac copiosissimum fontem; nam ut inquit Ioannes, *De pleniudine eius omnes accepimus.* quasi dicat, si aliquas virtutes, aliquas gratias habeamus, eas aliunde à solo Christo, eiusque merito habemus, ex eo tanquam fonte in nos dimanarunt.

Sed quæras forte, quomodo hæc virtutum ac gratiarum per Christum communicatio contingat? Digna sane quæstio que consideretur, Dignus
 B 7 modus,

modus, quem admiremur: felicissimo enim huic capiti ab æterno prædestinato membra vnienda erant, & tamen vniri non poterant, cum essent serui Diaboli, nili iræ, & indignationis: Quid fecit? ô admirabilem charitatem? Deus homo factus, factus ex muliere, factus sub lege, cum ad debitam hominis ætatē peruenisset, incepit facere miracula, & viam salutis edocere, vt sic homines ad sua dona, ac gratias recipiendas disponeret: ac tandem, vt pro eis satisfaceret, volūtariē se morti obtulit, ac inimicos suos sua morte æterno Patri recōciliauit: Patet hoc ex locis allegatis, & clariū ex allegādis probari potest: nā de hoc mysterio ita ad Titū scribit Apostolus, *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus: erudicis nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriē, iustē, & piē viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei.* Quod Petrus confirmat dicens, *Pertransiit Christus scilicet benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo: Ipse ergo est qui nos liberauit de potestate tenebrarum, id est*

Actu. 10.

Coloss. 1.

prin-

principū tenebrarum harum: Ipse est
 qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos ^{Tit. 2.}
 redimeret ab omni iniquitate, & man-
 daret sibi populum acceptabilem, secta-
 torem bonorum operum. Ipse est qui ^{Hebr. 5.}
 cum esset filius Dei, didicit ex ijs, quae
 passus est obedientiam, & consummatus,
 factus est pro omnibus obtemperantibus
 sibi causa salutis aeternae, appellatus à Deo
 sacerdos secundum ordinem Melchise-
 dech: Ipse est qui nobis factus est sapien-
 tia, iustitia, & sanctificatio: Ipse est
 denique, qui nos docuit, iu-
 stificavit, & sanctificavit, ut pos-
 simus esse eius corporis membra, si-
 amici eius, & fratres per gratiam,
 aut fiamus, aut maneamus, O gra-
 tiam admirandam! ô ineffabilem
 charitatem! Talis enim decebat, ut ^{Hebr. 7.}
 nobis esset Pontifex, inquit Apосто-
 lus, Sanctus, innocens, impollutus,
 segregatus à peccatoribus, & excelsior
 caelis factus, qui non habet necessitatem
 quotidie, quemadmodum sacerdotes
 prius pro suis delictis hostias offerre: de-
 inde pro populi: Hoc enim fecit se-
 mel se offerendo. Omnes ij
 qui aliquando populo DEI,

ut summi Præsides, ac quædam capita
 præfuerunt, exterius quidem verbo
 prædicandi auctoritatem; non tamen
 intelligentiæ interius subministran-
 dæ potestatem habuerunt: miracula
 quædã, sed virtute Christi, nõ propria
 potentia patrarunt: Ad expianda pec-
 cata sacrificia obtulerunt, sacramenta
 administrarunt, ut gratiã cõferrent, &
 animas hominum iustificarent, nõ po-
 testate principali; sed ministeriali: So-
 lus enim Christus est, *Qui illuminat om-
 nem venientem in hunc mundum* ut S.
 Ioannes loquitur. Christus est, qui sa-
 crificat; Christus est, qui baptizat;
 Christus est, qui peccata dimittit: Ipse
 est ut docet Angelicus, cui proprium
 est esse caput Ecclesiæ, & familiæ Dei;
 cum ipse solus sit, qui ad modum ca-
 pitis interius per spiritualem influxũ
 in omnia membra influit. Cæteri autẽ
 homines, non nisi exteriores ministri,
 & dispensatores mysteriorũ Dei sunt,
 ut in genere Paulus confitetur, dum
 ait, *Pro Christo legatione fungimur tan-
 quam Deo exhortante per nos: & de se-
 ipso in particulari cum dicit, Nam e-
 go, quod donavi, si quis donavi propter
 vos,*

Ioan. 1.

1. 3. 9. 8.
4. 6.

1. Cor. 4.

2. Cor. 5.

2. Cor. 2.

vos, in persona Christi. Vnde etiam acerrimè eos reprehendit, qui se à Paulo, aut Apollo ambitiosè gloriabantur, dicens, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptisati estis? Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat sed qui incrementum dat Deus, quasi dicat, Nil est quod mihi, qui plantavi; nec Apollo, qui rigavit ascribatis; sed soli Deo debetur honor & gloria.

O beatam itaque Christi familiam! ô filios ac domesticos eius beatissimos, cum caput tanta nobilitate illustre, tamè gratijs diues, tantis virtutibus potens habeant. Quisquis Christianus huic capiti vnitur, nobiliori multo stirpi inseritur, quam si in familiam alicuius potentissimi monarchæ, vt filius adoptaretur: diuitijs plus, quam terrenis ditatur: in consortium & familiaritatem regis Salomone multo sapientioris asciscitur. Què quæso maiorem generis splendorem desideret, quam, quod membrum filij Dei sit, & nominetur? Quas ampliores diuitias aueat, qui ad hæreditatem regni cœlestis vocatur? Quod consortium

sortium

fortium securius optet, cuius regis familiaritatem ambiat, qui ab æterna gloria Patris Sipientia manu ducitur, & in summi illius Dei & Regis familia conuersatur?

Sed ô rem nouam! ô indignum facinus. Cur non omnes se capiti suic submittant! imò cur multi illud deserunt, & illud statim oppugnaturi ad hostium castra confugiunt? Cur tam acre bellum concitant? Certè non nossem magis peremptoriè respondere, quam si cum Sapiente dicam, *Excacauit enim illos malitia eorum*: Diabolus namque tenebrarum princeps, carnis delicias ob oculos eis proponit, bona terræ & mundi huius honores promittit, quibus allekti ter miserrimi ipsum sequuntur, *amantes magis tenebras quam lucem*, vt de his, eorumque similibus Christus dicebat: Imò quod amplius est, in his tenebris, a deo securre ambulant, vt apud Isaiam dicant, *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos*: Sed, proh dolor seiplos decipiunt, nã vt ijs respondet propheta, *Delebitur*

Sap. 2.

Ioan. 1.

Isaie. 28.

Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos: Sed, proh dolor seiplos decipiunt, nã vt ijs respondet propheta, *Delebitur*

bitur fœdus vestrum cum morte, & pactū vestrū cum inferno non stādīt; flagellū mundans cum pertransierit eritis in concalcationem: quod ipsis omnibus in mortis articulo, & extremo iudicio infalliibiliter eueniet, nisi tempestiue mentis suę oculos aperiāt, & ad desertā castra, ac signa Christi post liminē redeant.

Nos verò, qui probè nōuimus, quātū malum sit mancipium diaboli esse, omni cura ac sollicitudine ad signa nostra sub hoc duce & capite permaneamus; adeoq; diligenter consideremus dignitatem, & commoda, quæ nobis ab eo promanant, & si perseuerauerimus æternū promanabunt. Hanc praxin docet nos Apostolus exēplo Christi & Moyses cum ait, *Per patientiam* *Hebr. 12.*
surrāmus ad propositum vobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta: *cap. 11.*
& alibi fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filie Pharaonis, magis eligens affligi cū populo Dei, quam tēporalis peccati habere iucūditatē, maiores diuitias existimās thesauro egyptiorū improperium.

perium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. Quos duos, si imitando sequamur, nihil sanè erit, quod nos à capite nostro separabit; sed potius ex aduersis occasionem sumemus subiiciendi nos Deo, eique gratias agendi, quod nos de Sathanæ Tyrannide ereptos, sub leue onus, & suaue iugum dilecti sui filij miserit.

Ioann. 6. Ex eo, inquit Ioannes, multi discipulorum eius ierunt retrò cū scilicet Christum de manducatione corporis sui differentem audissent, dicentes: *Sermo hic durus est, & quis potest eum audire?* Dixit ergo Iesus ad duodecim; *Nunquid & vos vultis abire?* cui omnium nomine respondet Petrus, *Domine quoniam ibimus? verba vita habes.* quasi diceret, præter te non est alius, qui nos ad veram vitam, æternamque fælicitatem perducere possit: Pulchrum sanè responsum & sancta conclusio, quæ nobis potius sequenda est, quam aliorum leuis fluctuatio: Idem ergo cum Petro dicamus, nosq; ad eò arctè cum capite nostro constringamus, aut constringi rogemus, quatenus in perpetuum ab eo separari nequeamus.

CA.